UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

Continet Tractatvm Serie Vigesimvm-Octavvm De Matrimoniis, & Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

An si prædictæ causæ præcesserint sponsalia, & ignorentur, sponsalia dissoluant, ac si postmodum superuenissent. Pun. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76659

Visual Library

enim apti ſunt ad onera matrimonij ſuſtinenda, neque in hac parte eſt compenſationi locus, vt benè notauit Rebell. *lib.4.de oblig.iuſtit.q.8.ſect.8.num.* 70 Baſil. Ponce, *lib.12.c.17 num.8.*

5. At ſi tempore ſponſalium ingens diuitiarum copia vni ex ſponſis eueniat, quam tamen à principio non cogitauit, altero ſponſo in eodem ſtatu manente, etſi alicui videri poſſet deobligatum eſſe ab ſponſalibus, eo quòd earum executio illi fiat notabiliter durior, & quam à principio non præſtaret, ſi ſe ita diuitem videret. At longè verius cenſeo, & ferè certum obligatum eſſe promiſſis ſtare, quia pars qua cum contrahit non eſt deterior facta. Ergo nullum præſtat reſiliendi fundamentum. Ergo non debet ſuo iure priuari ob diuitias alteri parti ſuperuenientes. Atque ita docent Sanch. *dub.1. diſp.59.in fine. num.7.* Gutierr. *cap.33.n.4.* Coninch. *diſp.23. dub.8.n.69.* Neque obeſt, quod executio ſponſalium illi durior fiat, quia non fit durior per ſe, ſed ex eo quòd impediatur ab aliis ſponſalibus ditioribus contrahendis, aliàs quoties ſponſalia ditiora offerrentur, poſſent minus ditiora ſolui, quod non eſt dicendum.

6. Supradictæ cauſæ ſunt, quæ in ſponſalium diſſolutione præcipuè occurrere poſſunt. Sed quia enumerari ſigillatim omnes, eſt ferè impoſſibile; ideò Doctores regulam generalem ſtatuunt dicentes, quoties contractis ſponſalibus ſuperuenit aliqua cauſa, quæ eorum executionem notabiliter reddit difficiliorem, quæque ſi à principio exiſteret quemlibet alium eiuſdem conditionis, à contrahendis prudenter auerteret, ceſſat eorum obligatio ex parte illius, cui contractus redditus eſt difficilior, eo quod à principio factus fuerit ſub ea conditione, *ne res notabiliter mutentur* iuxta Textum *in dicto c.quemadmodum de iureiurando.* Sic Nauarr. *c.22. n.27.* & *lib.4. conſ.34.* aliàs *9.de ſponſalib.* Sanch. *lib.1. diſp. 62.n.3.* Gutierr. *c.33. n.6.* Baſil. Ponce, *c.17.n.2.* Coninch. *diſp.23.dub.8.in princ.* Paul. Layman. *lib.5.ſum.tract.10.c.2. n.18.* & alij plures apud ipſos.

7. Quod procedit, tametſi illa noua cauſa ſuperueniat, poſtquam alius fuit in mora implendi ſponſalia, quia prædicta mora etſi inducens obligationem ſatisfaciendi damnis ex illa ſequutis, alteri comparti non tollit efficaciam cauſæ diſſolutiuæ ſponſalium ſuperuenientis, vt benè notauit Sanch. *d.diſp.62.n.5.* Gutierr. *c.33.num.8.*

## PVNCTVM XXIX?

### An ſi prædictæ cauſæ præceſſerint ſponſalia, & ignorentur, ſponſalia diſſoluant, ac ſi poſtmodum ſuperueniſſent?

1 *Affirmatiuè reſpondendum eſt.*
2 *Procedit quando ignorantia cauſæ dedit cauſam contrahendi.*
3 *Procedit etſi ſponſalia fuerint iurata. Et ſatisfit obiectioni.*
4 *Ob fornicationem ſponſæ, quam eſſe virginem exiſtimabas, potes ab ſponſalibus etiam iuratis reſilire.*
5 *Eſſe viduam, quam putaſti virginem alicui videbitur, non eſſe ſufficientem cauſam diſſoluendi.*
6 *Sed probabilius eſt oppoſitum.*
7 *Fornicatio ſponſi præcedens non dat ſponſæ ſufficientem cauſam diſſolutionis.*
8 *Excipe, niſi cum pluribus eſſet fornicatus.*
9 *Deinde ſi ex fornicatione prolem haberet.*
10 *Prædicta cauſa ignorata reddit contractum non ipſo iure nullum, ſed irritandum.*
11 *Conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſoluenda ſponſalia cenſetur iuri reſiliendi cedere, ſi coniugem cognoſcat.*

1. NOtanter dixi, *ſi prædictæ cauſæ ſponſalium diſſolutiuæ ignorentur,* nam ſi illis cognitis ſponſalia contrahantur, omnes Doctores firmant nullam ſupereſſe facultatem reſiliendi; quia iam liberè conſenſiſti, quo conſenſu poſito ius alteri parti eſt quæſitum, quo priuari non debet. At aliqua ex prædictis cauſis ignorata, poteris illa cognita ab ſponſalibus reſilire, vt ex communi ſententia aduerſus Paludan. *in.4.d.27.q.1.art.3.n.33.* & Supplement. Gab. *eodem d.q.2.art. 3.* docent Henriq. *lib.11.c.14. num.6.* Thom. Sanchez, *lib.1. diſp.63.n.2.* Gutierr. *cap.34.de matr.num.2.* Coninc. *diſp.23. dub.8.n.57.* & *dub.9.n.71.* Paul. Laym. *lib.5.ſum.tr.10.1.p.c.2. n.18.* Baſil. Ponce *lib.12.de ſponſal.c.18. à n.1.* Ratio eſt manifeſta, quia comparatione tui res notabiliter mutantur, ſiquidem de nouo apparet vitium, quo tecum contrahens vilior eſt, quàm à principio exiſtimaſti. Etenim illud vitium comparatione tui tunc apponitur, quando tibi manifeſtatur, quia tunc eſt cenſenda res fieri, quando innoteſcit. *Argum. c. paſtoralis de exceptionib.* ſicut è contrà tunc cenſetur non eſſe, quando non apparet. *leg. in lege. ff. de contrahenda empt.* Et præterea in generali, ſimplicique obligatione non cenſentur comprehenſa quæ cogitata ab obligatione prudenter auerterent. *leg. obligatione generali. 6. ff. de pignorib.* & *leg.1. Cod. quæ res pignori obligari poſſunt. lege ſi libertus, de oper. libert. cap. veniens de iureiurando.*

2. Hæc tamen procedunt, quando ignorantia cauſæ dedit cauſam contrahendi: ſecùs quando ita affectus eſſes, vt eſto prædictam cauſam cognoſceres, adhuc cõtraheres (quod nunquam eſt præſumendũ, niſi expreſſeris) quia in eo euentu non eſt facta vlla mutatio comparatione tui conſenſus, quæ à contrahendo auerteret, vti docuit Sanch. *lib 1. diſputat. 65. num.2.* Baſil. Ponce, *lib.12. de ſponſal. cap.18. n.4.* Coninch. *diſp. 23. dub.7. num.60.* Poſita autem ſufficienti cauſa ad ſponſalia diſſoluenda, & non aliter, ſtandum eſt aſſertioni cuiuſque, ſe minimè conſenſurum, ſi eam ſciret; quia de eius voluntate non aliter quàm eius teſtimonio conſtare poteſt, vt aliis relatis docuit Sanch. *diſputat.62. in fine, numero* 6. Gutierr. *c. 33. num.9.*

3. Deinde procedunt ſupradicta etſi ſponſalia fuerint iurata, quia vt ſæpè dictum eſt, iuramentum ſequitur naturam actus, cui adhæret, ſicuti in præſenti tradit alios referens Sanch. *d. diſp. 62. n.4.* & *diſp.64. n.7.* Gutierr. *c.33. num.7.* Coninch. *diſp 23. dub.7. num.61.*

Neque his obſtat Textus *in c. quemadmodum,* vbi deciditur ob fornicationem præcedentem ſponſalia non poſſe diſſolui, quia vt explicat *ibi* Gloſſa, & Anton. & communiter Doctores intelligitur de fornicatione præcedenti nota, ſecùs ignorata.

4. Hinc fit ob fornicationem ſponſæ, quam virginem eſſe exiſtimabas te poſſe ab ſponſalibus etiam iuratis reſilire ob rationem factam notabilis mutationis, & quia bigamus fieres, vnde diſſoluto coniugio non poſſes abſque diſpenſatione ad ordines promoueri, quod eſt graue onus. Atque ita cum communi docet Sanch. *lib.1. diſp.64. n. 5.* Gutier. *c.34. n. 3.* Baſil. Ponce, *lib.12. c.18. n.2.* Coninch. *diſp.23. dub 7. concl. 3. n.57.* Quam doctrinam meritò prædicti Doctores extendunt contra alios ad fornicationem viduæ. Quia negari non poteſt probroſum eſſe viro viduam inhoneſtam ducere, quoà principio cognito ab ſponſalibus abſtinuiſſet.

5. An verò eſſe viduam, quam reputaſti virginem ſit ſufficiens cauſa diſſoluendi ſponſalia difficultate non caret ob ea quæ adducit Coninch. *diſp.23. dub.7. n.58.* Nam eſto illo matrimonio bigamus fias, non videtur hoc multum referre, cùm contrahens matrimonium nihil minus cogitet quàm ad ordines promoueri: præcipuè cùm ob defectum doctrinæ, & ob alias cauſas ſæpè irregularis exiſtas. Et præterea quia illius qualitatis ignorantia probabilis eſſe non poteſt, ſi de ſtatu ſponſæ inquiſitionem feciſti, ad quam faciendam videbaris obligatus. Ob quas rationes cenſet Coninch. *loco citato* te non poſſe ab ſponſalibus reſilire, niſi fortè habitum clericalem geſtares, & priuilegio clericali priuandus eſſes, vel ſi illa tanquam virginem ſe tibi venditaſſet.

6. Sed probabilius cenſeo cum Sanch. *diſp.63. n.3.* Gutierr. *c.34. n.4.* Baſil. *lib.12. c.18. n.2.* in quolibet euentu te poſſe reſilire, eo præcipuè quia in communi hominum æſtimatione vidua cenſetur inferioris conditionis, quàm virgo ad matrimonium contrahendum, minúſque virum decet. Ergo eſt facta comparatione tui notabilis mutatio. Neque obeſt quod obligatus fueris inquiſitionem facere de ſponſæ ſtatu; ſi de facto non feceris ob aliquam probabilem rationem, nempè quia ipſa non geſtabat vidualem habitum, nam tunc cenſendus non es eius qualitatem contrahendo approbaſſe.

7. Sponſi verò fornicationem præcedentem ignoratam præſtare ſponſæ ius reſiliendi indicauit Nauarr. *c.22. n.27.* eo quòd hæc ſubſequens ius reſiliendi præſtat, ergo præſtare debet, eſto præcedat ob rationes in principio factas. Sed omnino tenendum eſt oppoſitum cùm Sanch. *diſp.63. n.9.* Gutierr. *c.34. n.7.* Coninch. *diſp.23. dub.7. n.62.* Baſil. Ponce, *l.12. c.18. n.2.* Ratio eſt: quia fornicatio ſponſi præcedẽs ſponſalia non habet eam qualitatem, ob quam ſubſequens dirimit. Quippe ea dirimit eo tantùm, quia fidem datam violat, & ſuſpectum reddit de futuri tori violatione, quæ tamen in fornicatione præcedenti non procedunt. Secùs verò eſt in fornicatione ſponſæ, quæ non ſolùm ob fidem violatam, & ſuſpicionem violandi torum ſponſalia diſſolui facit, ſed quia ipſa fornicatione vilior, & contemptibilior facta eſt, quod tamen in fornicatione ſponſi non procedit. Non enim ob hoc delictum minoris æſtimationis fit, neque vllam notam incurrit fœmina, eo quòd nubat viro qui aliam cognouit.

8. Excipe tamen, niſi vir cum pluribus fornicatus eſſet, ita vt cenſeretur maximè huic vitio deditus, quod antea ſponſa ignorabat, quia eo caſu probroſum fœminæ eſt illud ducere, & meritò timere poteſt contracto matrimonio ſimilia patraturum: ſic notauit Sanch. *d. diſp. 63. num.9.* & *10.* Gutierr. *c.34. n.7.* Coninch. *diſp.23. dub.7. n.62.* Baſil. Ponce. *cap.18. num.2.*

9. Secundò excipe, niſi ex fornicatione pro[illegible] haberet, quia redditur matrimonium difficilius, tum ob [illegible]ligationem ei alimenta præſtandi, tum quia cauſa diſcordiarum eſſe ſolet,

ſolet, vti benè notauit Ægid. Coninch. *d.dub.7.concl.5.n.62.* extenditque prædictam doctrinam, tametſi proles legitima eſſet ob eaſdem rationes.

10. Supereſt duplex difficultas. Prima, An ignorantia cauſæ ſufficientis ad ſponſalium diſſolutionem, cuius ignorantia dedit cauſam contractui, reddat contractum ipſo iure nullum, vel irritandum ex parte decepti? Et breuiter reſpondeo ex his quæ latè dixi *tract. de iuram. diſp.2. part.5.* prædicta ſponſalia non reddere contractum irritum, ſed irritandum, eo quòd ignorantia, ſeu error ſolùm verſetur circa qualitatem contractus, non circa ſubſtantiam illius, quippè ſubſtantia illius contractus perſonam reſpicit abſolutè, & in eam conſentit abſque eo quod ille conſenſus formaliter feratur in qualitates, quæ perſonam afficere poſſunt, quæque illi poſſunt euenire, tametſi eo pacto, & modo fiat, vt ſi poſtmodum eueniat, vel appareat aliquid, quod contractum difficiliorem notabiliter reddat, ius ſit comparti reſiliendi. Ex quo conſtat contractum validum eſſe, competere tamen decepto ius reſcindendi, vt optimè probat Leſſius *lib.2. cap.17. dub.5. num.31.* Coninch. *diſp.23.dub.9.à n.72.* & videtur conuinci ex *leg. Iulianus.13.ff. de actionib.empt.leg.qui vas, §. vlt.ff.de furtis. leg. rem alienam. 28.ff.de contrahend. empt.*

11. Secunda, An conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſoluenda ſponſalia cenſeatur iuri reſiliendi cedere, ſi ſe mutuò cognoſcant? Cui difficultati affirmatiuè reſpondendum eſt. Si enim ob prædictam copulam cenſentur matrimonio contracto ius diuortij remittere, à fortiori cenſebuntur remittere ius ab ſponſalibus reſiliendi. Quod non ſolùm habet verum in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ; nam eo ipſo quo alteri copulatur ſciens reſilire poſſe, renunciat iuri reſiliendi, & contractum approbat, tametſi vitio illo affectum, vti ex communi ſententia comprobat Sanch. *diſp.66.num.2.* Gutierr. *cap. 34.n.9.* Coninch. *diſp.23.dub.10. à n.75* Baſil. Ponce *lib.12. cap.18.num.4.* Paul. Laym. *lib.5.ſum.tract.10.1.p.cap.2.num.20.* & alij.

## PVNCTVM XXX.

### An laborans occulto impedimento, quod compartem ab ſponſalibus contrahendis auerteret, poſſit eo tacito ſponſalia contrahere, & ad executionem compartem compellere?

1 *Præmittuntur aliqua pro explicatione Quæſtionis.*
2 *Si impedimento labores, nuptias minus commodas, ſed non incommodas reddente, poteris tacito eo vitio ſponſalia contrahere.*
3 *Per accidens impediri potes.*
4 *Si impedimentum ſit poſterioris generis, vt lepra, morbus gallicus, &c. aliqui cenſent te poſſe occultare.*
5 *Verius eſt te obligatum eſſe vel à contrahendis deſiſtere, vel defectum manifeſtare.*
6 *Ex his deciditur Quæſtio.*
7 *Illis in euentibus, quibus potes ſponſalia contrahere, & contracta perficere, negat* Baſil. Ponce, *te poſſe compartem ad contrahendum compellere.*
8 *Verius eſt oppoſitum.*
9 *Satisfit oppoſitis fundamentis.*

1 PRo Quæſtionis explicatione præmitti debet cum Ægid. de Coninch. *diſp.23. dub.12.n.91.* Baſil. Ponce *lib.12.de ſponſalib. c.18. n.5.* & aliis, ob duplicem cauſam ius reſiliendi ab ſponſalibus tibi concedi: *prima* ſubſequitur ſponſalia neceſſariò, *alia* antecedere, & ſubſequi poteſt. Cauſa neceſſariò ſubſequens eſt quæ fidem ſponſaliorum violat, vt ſi alter poſt contracta ſponſalia fornicatur, vel ea exequi omittit cùm obligatus eſt. Hæc cauſa non poteſt ſponſalia contrahenda impedire, quia non antecedit, ſed ſubſequitur, tametſi poſſit impedire illorum executionem. Cauſa verò, quæ tam antecedere, quàm ſubſequi poteſt, eſt in duplici differentia, *alia* quæ nuptias minus commodas reddit comparti prædicto impedimento carenti, *alia* quæ non ſolùm reddit nuptias minus commodas, ſed poſitiuè incommodas, & damnoſas. Prioris cauſæ exempla ſunt, ſi mulier ſit corrupta, ſiue ſponte, ſiue vi, vel ſit notabiliter deformis, aut ſiue ipſa ſiue vir pauper ſit, & ignobilis, cùm tamen nobilis, aut diues putaretur. Item ſi non ſit bonæ famæ, aut improbis, moribus, feroci ingenio, à quibus ſtatuit ſe corrigere. Hæc enim matrimonio non officiunt, etſi minus commodum reddant, non enim ex eo quòd fœmina corrupta ſit, vel pauper, aut ignobilis fuerit vel mores perditos, corrigendos tamen habuerit, impeditur ſocialis vita, generatio, vel honeſta prolis educatio. Poſterioris cauſæ exempla ſunt, paralyſis, lepra, morbus gallicus, aliúſve contagioſus, mores perditi abſque animo corrigendi, infamia ex genere, vel ex delicto proueniens, quæ honeſtam familiam deturpare poſſet; hæc enim vel generationem impediunt, vel à ſociali vita auertunt, vel honeſtæ educationi prolis officiunt.

2. Si impedimento labores nuptias minus commodas, ſed non incommodas reddente, poteris tacito eo vitio ſponſalia contrahere: quia ſatis vſu, & conſuetudine receptum eſt, neminem teneri prædictum impedimentum manifeſtare, ſed parti incumbere aliàs de illo requirere: quinimò ſi impedimentum in diminutionem tui honeſti ſtatus, & famæ cedat, non ſolùm poteris id vitium tegere, ſed interrogatus diſſimulare æquiuocè reſpondendo; ſibi enim imputare debet pars, quod fuerit decepta, cùm exploratum habere deberet, te obligatum eſſe impedimentum manifeſtare, quod matrimonio contrahendo non nocet, & in tui honoris detrimentum cedit, vt optimè docuit Ægid. de Coninch. *diſp.23. dub.12. concl.1. & 2. à num.82.* Turrian. *2.2. diſp.78. dub.2* Baſil. Ponce *lib.12.c 18.n.6.* Sanch. *lib.6.de matr.diſp.27.n.8.concl.1.* Quare recens nupta, quæque virgo reputatur, cùm tamen non ſit, poterit aliquibus mediis vti ad ſuum vitium occultandum, ne deprehenſa à viro iniquè tractetur; in hoc enim viro non nocet, & ſibi fauet, vt dixerunt Ægid, & Sanch. *ſuprà.*

3. Per accidens autem impediri potes ab ſponſalibus contrahendis eo defectu non manifeſtato, & à fortiori à matrimonio contrahendo, ſi prudenter timeres matrimonio contracto defectum cognoſcendum eſſe, & compartem ægerrimè laturum, grauéſque diſcordias inde eſſe prouenturas: charitas enim exigit, ne tuum commodum cum tam graui proximi damno procures Sic Nauarr. *cap. inter verba corollar. 16.n.60.concl.1.in 2.edit.* Sanch. *lib.6.diſp.27.concl.3.num.10.* Coninch. *dub.12.concl.1. & 2.* Baſil. Ponce, & Turrian. *ſuprà.* Illud verò exiſtimo certum nunquam tibi licitum eſſe fingere te nobilem, diuitem, bonæ famæ, vt alium ad contrahendum induceres, quia eſſet doloſa, & fraudulenta inductio, vti notauit Ægid. *dicto dub.12.num.93.*

4. Quod ſi impedimentum ſit poſterioris generis, non deſunt Doctores qui cenſeant te ſimiliter occultare poſſe, quia communi contrahentium aſſenſu receptum eſt neminem obligatum eſſe propria vitia detegere, ſed penès compartem eſſe ea aliunde inueſtigare. Vnde ſi plenè non inueſtiget ſibi imputare debere: ſic expreſsè Gaſpar Hurtado *diſp. 2 de matr. difficult.17.n.62.* & fauet Sanch. *lib.1. diſp.68. n.7.* exemplum ponens in morbo gallico. Et *lib 6. diſp.27.q.2.* de omnibus impedimentis generaliter loquitur.

5. Sed rectius Baſil. Ægid. Turrian. *loc. allegatis* docent te obligatum eſſe, vel à contrahendis ſponſalibus deſiſtere, vel defectum manifeſtare, niſi fortè altera pars eodem defectu laboret, quia eo vitio affectus non es aptus matrimonij vſui, ad quem expeteris; ac proinde contra iuſtitiam peccas, ſicuti peccares, ſi venderes ligna putrida credenti eſſe ſana, & commoda, cùm tamen incommoda ſint, vti dicitur. *leg. Iulian.13. ff. de actionibus empti. & leg.1.ff.de Ædilit.edict.*

6. Ex his infertur ad poſteriorem Quæſtionis partem deciſio, Qualiter impedimento laborans, quo cognito alius reſiliret, poſſit ad matrimonium contrahendum compellere? Et quidem illis euentibus, in quibus obligatus es ab ſponſalibus contrahendis abſtinere, vel à contractis deſiſtere, manifeſtum eſt te non poſſe alium compellere ad matrimonium contrahendum.

7. Quinimo illis in euentibus, quibus potes ſponſalia contrahere, & contracta perficere docet Baſil. Ponce, *lib.12. c.18.n.7.* & reputant probabile Ægid. & Sanch. *loc. allegatis* te non poſſe alium ad contrahendum compellere; eo quòd ſtante illo defectu etiam incognito pars altera ius habeat, vt ſe indemnem ſeruet, & proprium damnum euitet, cui iuri tu non poteris derogare. Item contractus ſponſalium ſub hac conditione fieri videtur, vt ſi ex altera parte violetur fides, vel aliquid adſit, quod notabiliter reddat contractum difficiliorem, alter habeat ius ab ſponſalibus reſiliendi. Ergo eo poſito etſi ignorato innocens nullam iniuſtitiam committit reſiliens, ergo compelli non poteſt. Præterea adulter non poteſt exigere debitum à coniuge innocente tanquam debitum, eo quò innocens poſito adulterio ius acquiſierit negandi debitum, vt tenent plures Doctores apud Sanch. *diſp.68.q.1.n.3.* ergo à fortiori non poterit ad contrahendum matrimonium compellere.

6. Cæterùm communior ſententia, & verior tenet, te poſſe partem compellere ad contrahendum, ipſámque obligatam eſſe compulſioni obedire, dum occaſione reſiliendi cognitâ, & obiectâ obligationem priorem non elidit. Sic docet Sanch. *lib.1.de ſponſalib.diſp.68.n.8.* Ægid. de Coninch. *dicto dub.12.concl.4. & 5.* Gutierr. *c.3..n.10.* Ratio eſt, quia defectus ille ſiue antecedens, ſiue ſubſequens ſponſalia non impedit illorum valorem, ergo eo non obſtante ius habes compellendi compartem ſtare promiſſis. Quippe hoc ius ſponſalia valida neceſſariò ſubſequitur. Ergo alter obedire tenetur, ne prædictum ius inutile ſit. Quod amplius confirmabitur ex ſolutione oppoſitarum rationum.

9. Ad primam dico, compartem poſito illo defectu habere ius vitandi proprium damnum media illius exceptione, & obiectione, ſed non aliter, quare dum illum defectum non obiicit, nec proprium incommodum vitare, nec reſilire poteſt.